



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 105. Ducis Burgundiæ Legatus in Conventu exceptus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CV.

Sæcul. XV.
A. C. 1459.*Ducis Burgundiæ Legatus in Con-
ventu exceptus.*

Nihilominus nonnullorum præsentia desiderabatur. Hos inter Philippus Burgundiæ Dux, qui se venturum promiserat, adesse præpeditus, suo nomine Ducem Clivensem Sororis suæ Filium nobili comitatu stipatum Mantuam decrevit. In hujus occursum, cum Pontifex duos Cardinales mittendos censeret, illi primum ire recusant, indignum esse caussati, atque insolitum, quod nobilior dignitas cedat inferiori, Cardinalem dignitatem Regiæ parem esse dicebant. Vicit tamen Pontifex, asserens, vidisse se quod Cæsar, qui tamen Cardinalibus haud inferior esset, sæpe Ducibus, atque Marchionibus ad se venientibus occurrerit, quæ ratio Purpuratos permovit, ut extra urbem procederent, Oratorem excepturi. Hic comitantibus hisce duobus Cardinalibus Mantuam ingressus, in Conventum admissus est, ac occupata sede sua edixit, Burgundiæ Duci equidem Papæ consilium præclarum æque ac sanctum probari, illius tamen executionem non modo difficilem, sed nequidem possibilem videri; in hostem enim longe potentissimum, qualis Mahometes esset, bellum

P p 5 geren-

Sæcul. XV.
A. C. 1459.

gerendum fore, ac ideo validissimum exercitum educere, necesse esse; Germaniam vero, Franciam, & Angliam domesticis scindi diffidiis, has igitur prius pacandas esse, bellum deinde Turcis indicendum.

§. CVI.

*Pontificis postulata pro bello
contra Turcas.*

Quamquam Clivensis Ducis rationes satis graves viderentur, nihil tamen morari poterant summi Pontificis studium, quo Religionem tueri constituit. Quare Legati verba excipiens respondit, fateri se, raro in Orientem sacras expeditiones factas esse sine Gallorum auxiliis, eorumque defendendæ fidei fervorem semper reliquos inter eminuisse; Ceterum daturum se operam, ut diffidia inter Francos, & Anglos componerentur: Germanos vero pacare difficilioris momenti negotium esse, longumque exposcere tempus: nihilominus tamen se necdum prosperi successus spem abjecisse, dummodo prompta, ac seria consilia foverent Principes; si enim diuturnior neceretur mora, timendum, ne tota periret Hungaria; hac semel a Turcis occupata, in Germaniam, indeque in Italiam, Hispaniam & Galliam liberum eis patere aditum,